Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 717
Quelle:
Copyright:

et magis infra *per occultam gratiam uocaretur* pro *ſignaretur*.

XXV. *fol.* 141. p. 2. *Sermo fulgentij epiſcopi de eodem.* Initium: *Noſtis fratres kariſſimi quod dies iſte qui nobis in honore domini per ſingulos annos celebratur* &c. Extat edit. *Opp. Venet.* 1742. p. 253. f. ubi perperam ſub initium: *Et quia Graecum probatur eſſe vocabulum*, (Epiphania) *multis eſt Latinis incognitum. Inde eſt quod* &c. Rectius Codex: *multisque Latinis incognitum inde eſt quod* &c.

CCXXVII. VI. E. 30.

Codex membraneus lat. Sec. 318 ſaltem XII. Folior. nunc 24. f. per duas columnas exaratus, Titulisque miniatis diſtinctus, manus, ut videtur, *Hiſpanae* e titulo paullo recentius *pag. ult.* adſcripto: *Don Rodrigo por la gracia de dios Rey de caſtilla de Tholedo de leon de Galiſia de ſeuilla de cordoua de Murçia de iaben et algarbe*, ſequentia continet: I. *Incipit Liber De Decem Cordis S. Auguſtini.*

Quas tu ſi caperis diſcrimina mille ualebis.
Tempnere perpetua atque carere fame.
Auguſtinus adeſt bonus hic athleta famoſus.
Denas qui cordas tangere rite quiuit.
Hinc tibi iohannes odas canit atticus ille.
Fuluo qui meritis. emicat ore ſacris.

Hic interjectus eſt *Elenchus* Contentorum in *Cod.* quorum ultimum numeratur *Omelia ſancti Johannis* (Chryſoſtomi) *de cordis compunctione*, ad quam Diſtichon poſtremum adludit, quae vero deperiit. Dein concludit Poeta:

Exempla iſtorum fuerit quicumque ſecutus.
Hic poſſeſſor erit o paradiſe tui.

Et nunc Liber praedictus orditur: *Deus et dominus noſter miſericors et miſerator* &c. ut T. V. *Opp.* edit. *Maur. Pariſ.* 1683. *col.* 48. ubi *Claſſis* I. *Sermo* IX. eſt, lectione tamen non raro variante; ita *c. 2.* nobis *fol.* 1. *p.* 2. malim cum noſtro: *Clamemus et laudemus*, quam cum Editis: *Clamavimus et laudavimus* &c. Concluditur: *Erit ergo illud ſabbatum ſabbatorum. quod hic deſideramus. ut ibi inueniamus.* Iterum, ut videtur, rectius, quam in Editis.

II. *fol.* 13. p. 2. *Item Sermo S. Auguſtini De Die Judicii.* Initium: *Audiuimus cum euangelium legeretur terribilem ſimul et deſiderabilem uocem — Diſcedite a me maledicti* &c. Finis: *et ad celorum regnum feliciter peruenire. Preſtante domino noſtro ihesu chriſto qui* &c. Extat T. *cit. append. col.* 142. monentque Editores, eum